Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

249

ei iussit eum fustibus cesum ad sacrificium compelli. Sed ille permanens in dei nomine et ipse cesus est. Corpusque eius in eodem loco a christianis sepultum. Bassus vero in eodem loco permanens hortabatur populum credencium ut in passione gauderent sanctorum. Factum est autem dum convenirent populi ad mercatum in loco qui appellatur forum novum et sacrificarent ibi libero et cereri, tenuerunt bassum et duxerunt eum ut sacrificaret et ipse libero. Quibus ait bassus: Ista simulacra sunt mortua sine voce et anima nec possunt vobis subvenire. Et hec dicens sufflavit in ea et confracta sunt. Tunc populi irruentes in eum tamdiu eum fustibus cedunt quousque exalaret spiritum. Fabius etiam consulari traducitur. Quem diutina ille maceratum custodia cum nollet immolare demonibus capite cedi fecit. Itaque factum est ut omnes hi antimus et maximus, bassus et fabius in his locis ponerentur ubi consueverant. Silvinus autem florencius diocletianus iuxta auximum ubi lapidibus obruti fuerant positi sunt. Primianus vero cum bona fide perrexit ad dominum. Lucina vero vidua eius dum die noctuque oracioni lectionique insisteret triduana ageret ieiunia, apparuit ei sanctus sebastianus martir indicans ei locum ubi corpus suum a sacrilegis fuerat missum. Quod illa tollens venerabiliter sepelivit. Eodem tempore contigit ut quedam beatrix nomine et opere que erat germana sanctorum simplicii et faustini qui pro nomine domini post multa et diversa supplicia capite truncati immitterentur in tyberim. Sed corpora eorum inventa sunt in loco qui vocatur sextus philippi. Cum beato crispo presbytero et iohanne presbiteris et aliis christianis levaret corpora eorum de fluvio et sepeliret in predicto loco V kl. mai. Hec ergo beatrix post sepulturam martirum venit ad lucinam et apud eam per VII menses morata est. Factum est autem ut predium quoddam quod erat sancte beatricis commune cum fratribus possessor nomine lucrecius ambiret tandemque beatam beatricem ad sacrificia compelleret. Que dixit ei: Ego non sacrifico demonibus quia christiana sum. Cui lucrecius: accede inquit et sacrifica diane ut evadas que te expectant tormenta. At illa voce magna clamavit dicens: Dixi tibi lucreci quia christiana sum, ideoque demonibus tuis numquam sacrificabo. Tunc iussit eam in carcerem recipi quousque cogitaret quomodo perimeret. Cumque in confessione christi persisteret fecit eam lucrecius noctu suffocari a servis suis et sic tradidit spiritum domino. Quam sancta lucina cum suis fratribus sepelivit in sexto philippi V kl. mai. Post hec lucrecius ingressus sanctorum predium et fecit convivium amicis suis in quo insultabat sanctis dei. Et dum epularentur erat ibi quedam mulier que lactabat infantem qui emisit vocem coram omnibus in convivio et ait: Lucreci occidisti et insuper invasisti. Ecce datus es in possessionem inimici. Ad hanc vocem lucrecius expalluit et tremor invasit eum. Ingressusque est in illum sathanas et vexavit per tres horas quousque tolleret spiritum eius. Tantus autem metus irruit in omnes qui aderant ut simul omnes ad christianos confugerent et iam facti omnibus enarrabant passionem beate martiris beatricis in convivio vindicatam. Lucina autem venerabilis femina cum fugeret asperitate contrita passionibus, apparuit ei sancta beatrix dicens ei: Noli abscedere quia in hoc mense pax dabitur christianis. Quod et factum